

1615

ferat. Inde, ut tria Italorum peditum millia conscriberentur, sanxit. Aloysio Estensi, Cæsaris Mutinæ Ducis filio, ut duo millia conficeret, injunxit, qui paucis diebus ex paternis ditionibus finitimisque locis florem militiæ delectum Veronam, quo Venetæ copiæ conveniebant, misit. Insuper, ut Corsi pedites ad bina millia deligerentur, latum. Quatuor generis nobilitate ac virtute præstantibus viris, singulis ex ordinum militibus tria millia, quibus præfessent, tributa sunt. Hi Camillus Capreolus, Constantii filius, qui Georgii Bastæ, clarissimi ducis, auspiciis, in Pannonia Daciaque militaverat; Joannes Baptista Martinengius, ambo Brixienfes; Jacobus Justus, Augustini filius, Veronensis, in Belgio bellicis studiis eruditus; Antonius Saornianus, Utinensis, usu rerum, Venetæque nobilitate clarus. Annonæ vero militaris summus præfectus Hieronymus Cornelius est creatus. Quoniam vero inter ceteras Venetorum arces, quibus exstruendis nullo unquam labori sumptibusque Senatus pepercit, Pischerium, in Benaco lacu ad Mincii amnis fauces, vel situ vel opere præcipua censetur; ad eam exactius perlustrandam & communiendam quinque cives lecti sunt, qui, arcium exædificandarum scientissimis adhibitis, quid factu opus esset, pro majori parte decernerent: Antonius Landus, continentis legatus; Hieronymus Cornelius, annonæ præfectus; Joannes Garzonius, Julii olim Saorniani, summi arcium architecti, ex sorore nepos; Nicolaus Contareus, qui tunc consilii sapientis magistratum gerebat; Benedictus Taleapetra, qui legatus in Carnis, Palmæ præfuerat.

*Hieronymus Cornelius summus annonæ præfectus.*

*Legati ad Pischerii munitionem invisendam.*

Hæc ad terrestris imperii defensionem summo studio a Senatu parabantur. Atque interea, quid de Italiæ rebus Philippus statueret, summa cunctorum animi suspensione detinebantur; qui de iis, quæ Hastæ conventa fuerant, deque Gandiæ, quo tempore de pace agebatur, oppido tentato, cum certior esset factus; pacta improbavit, suæ dignitatis non esse existimans, ex æquo cum Sabaudia Duce agere; obtundi illius fastum, nimium elatos spiritus opprimi oportere; neque, ut regiæ majestati tenebræ offundantur, ferendum esse. Galli quoque Rambolietum carpebant: nullam regii decoris rationem habuisse: ut pactis adsentiretur facultatem non